



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum iuramentum adiunctum consensui per verba de futuro expresse
faciat matrimonium? 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

ARTIC. I.

Virum iuramentum adiunctum consensui per verba de futuro, expresso, faciat matrimonium?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod iuramentum adiunctum consensui per verba de futuro, expresso, faciat matrimonium. Nullus enim potest se obligare, ut faciat contra ius diuinum. Sed implere iuramentum est de iure diuino, ut patet Mat. 5. Reddes autem Domino vota tua. Ergo per nullam obligationem sequentem potest euenire quod nemo non debeat implere iuramentum prius factum. Ergo post consensum in aliquam per verba de futuro, iuramento firmatum, aliquis alteri se obligat per verba de presenti: videtur, quod nihilominus debeat iuramentum primum seruare. Sed hoc non est, nisi illo iuramento esset matrimonium illud perfectum. Ergo iuramentum adiunctum consensui per verba de futuro, facit matrimonium.

¶ 2 Præterea, Veritas diuina fortior est quam veritas humana. Sed per iuramentum veritate diuina, iuratur aliquid. Cum ergo verba exprimentia continentur de presenti, in quibus est sola veritas humana, matrimonium perficiant; videtur, quod multo magis id efficere possint verba de futuro, iuramentum firmata.

¶ 3 Præterea, Secundum Apostolum ad Heb. 6. maioris controuersie finis, ad confirmationem, est iuramentum. Ergo in iudicio saltem plus standum est iuramento, quam simplici verbo. Si ergo aliquis simplici verbo consentiat in aliquam per verba de presenti, postquam consenserit in aliam cum iuramento per verba de futuro: videtur quod iudicio Ecclesie debeat compelli stare cum prima, & non cum secunda.

¶ 4 Præterea, Verba de futuro simpliciter proferuntur sponſalia. Sed iuramentum ibi aliquid operatur. Ergo facit plus quam sponſalia. Sed ultra sponſalia non est nisi matrimonium. Ergo facit matrimonium.

189
Tho. 4. d.
28. q. vni
ca, ar. 1.
c. 2.

*vt dicitur
est q. 43.
art. 1.

SED contra, Quod futurum est, non est. Sed iuramentum additum, non facit quin verba de futuro significent consensum de futuro. Ergo adhuc matrimonium non est.

*decret. li.
4. tit. 1.
c. 31.*

¶ Præterea, Postquam perfectum est matrimonium, non oportet quod alius consensus interueniat ad matrimonium. Sed post iuramentum aduenit alius consensus, qui matrimonium facit; alias frustra iuraretur illud esse futurum. Ergo non facit matrimonium.

RESPONDEO dicendum, quod iuramentum adhibetur ad confirmationem dictorum: unde illud tantum confirmat quod in dictis significatur; nec significatum mutat. Et ideo cum verba de futuro ipsa sua significatione habeant quod matrimonium non faciant; quia quod futurum promittitur, nondum fit: etiam si iuramentum adueniat, nondum est matrimonium factum, sicut Magister in litteris dicit*.

* *lib. 4.
sent. d. 28
§. A.*

Ad primum ergo dicendum, quod implere iuramentum licitum, est de iure diuino, non autem implere matrimonium illicitum: unde si aliqua obligatio sequens iuramentum, faciat illud illicitum, quod prius fuisset licitum, non derogat iuri diuino quod iuramentum prius factum non seruat. Et ita est in proposito; illicite enim iurat qui illicite promittit. Promissio autem de alieno est illicita: unde consensus sequens per verba de presenti, quo quis transferit matrimonium sui corporis in aliam, facit præcedens iuramentum esse illicitum, quod prius licitum erat.

*lib. 4. de
decret. tit. 1.
c. 20*

Ad secundum dicendum, quod veritas diuina efficacissima est ad firmandum illud, cui adhibetur. Unde patet solutio ad Tertium.

Ad quartum dicendum, quod iuramentum aliquando operatur, non nouam obligationem faciens, sed etiam confirmans: & sic grauius peccat, qui eam violat.